Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26000
Copyright: Admont, Benediktinerstift



possibile fuisset. Et enim cum per omne tempus obsidionis. ut iosephus refert.
occisorum. siue fame ceterisque cladibus mortuorum numerus ad decies centena
milia collectus fuerit. qui super fuerunt ad ualles. et in specus subterraneos con
fugierunt. et in cloacis delitescere fraustra conati sunt. Sic delituisse uel delitescere
uoluisse. nimirum dixisse fuit montibus operite. et collibus cadite super nos. Quare
autem dominus noster hoc testimonium de propheta sumens sic dicere maluit tunc incipient
dicere. Cur non ait dicent. sed dicere incipient. Videlicet. quia non illic finis. sed initium
dolorum extitit. quando sic ceciderunt in ore gladii. Tempus aliud erit. ueniet dies
alius. dies iudicii. quo maiori cum angustia dicent montibus operite nos. et col
libus cadite super nos. dicent sanctis patribus et patriarchis protegite nos. dicent moysi
prophetis excusate nos. Verum id frustra dicent. nam econtra est qui accuset uos.
ait dominus. moyses in quo uos speratis. Et uerba quidem diuersa de montibus et collibus
predicata sunt dicendo montibus operite nos. et collibus cadite super nos. sed sensu eadem
sunt. Nam propheta quidem ait dicent montibus operite et collibus cadite. dominus autem
tunc inquit incipient dicere montibus operite nos. et collibus cadite super nos. Sequitur.
Ex diebus gabaa peccauit israel. ibi steterunt. Non comprehendet eos in gabaa prelium
super filiis iniquitatis. iuxta desiderium meum corripiam eos. Congregabuntur
super eos populi. cum corripientur propter duas iniquitates suas. Semel et iterum ac tercio
immo et quarto antiquitatem siue uetustatem peccati illo commomorat. ut
nulli uideatur nimium festina. uel plus iusto seuera punientis sententia. Pri
mo namque superius dixit. ista subsannatio eorum in terra egypti. et post aliqua rur
sus ait. Proinde peccauerunt. sicut in diebus gabaa. Item. Omnes nequicie eorum in gal
galis. quia ibi eos exosos habui. Nunc quarta iam uice secundum eandem intenti
onem dicit. Ex diebus gabaa peccauit israel. Loca diuersa sunt. et per ea secundum diuersorum tem
porum actus uel euentus. gens israelitica peccasse declamatur. id agente redarguentis
intentione. ut iniquitas que tandem punitur. non noua sed inueterata esse sciatur.
nec minus iudicantis iusticia quam expectantur patientia laudetur. Ex diebus inquit
gabaa peccauit israel. i. ex tempore quo in gabaa peccauit. peccare non desiit israel.
Peccauit autem illic semel et iterum israel peccata. quorum in scriptura seuum et horribile
monimentum est. Venit leuita in ciuitatem illam cum uxore sua. illucque diui
tit. et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum in qua
manebat. uolentes eum occidere. et uxorem eius incredibili libidinis furo
re uexabant. Denique mortua est. Ubi tantum regnabat corporalis nequicia
fornicationis. iam increuerat fornicatio quoque spiritualis. et hoc nichilominus
eadem scriptura narrat. referens precedenti lectione idolum factum in domo
michee. et quanta illud instantia. qua uiolentia. rapuerint ad se filii